



 EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
**VII**-  
SIGNAT. 1819CCXII

**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**GEORG FRIDER SCHROEER**  
 SS· THEOL· D· EIVSDEMQ· PROF· PVBL·  
 ET ALVMNORVM REG· EPHORVS

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S P D

**S**upremus, hodierno die, habendus est honos CLEOPHAE SALOMAE LOE SCHERIAE, tam clari matronae exempli, ut, quid agendum sit uxoribus, haec, exculto coniugii officio, praecepere, quid matribus optandum, haec, bono fecunditatis suae fato, docere, videatur. Quanta sit uxor, probae, prudentis, frugalis, commendatio, longum est, repetita literarum memoria, exponere, is uero, breuitatis causa, loquatur, quem domesticus mali perpetui sensus admonet, uxore mala nihil esse peius. Ad probitatis autem uxoriae laudem felicis uteri experimentum si accedit, pariter cum ipso familie incremento meritum crescit, ipsoque merito dignitas amplificatur. Sed multas commendauit ubertas, quibus uel scientia liberos educandi, uel cura, defuit, multas indoles liberorum, clarius explendescens, erexit ad spem, longe optimam, quam tamen, exploratissimam prope, uel repentinus aliquis obruit casus, uel animi, in uitium flexi, prauitas delectu. Adeo, inter pudentes mulieres, uxore commendatione est mater, matrum fortunatissima omnino ducenda, cuius expectationem, multa partam sollicitudine, liberi non fallant. Magnum grauitatis, magnum fertilitatis, magnum disciplinae, nec spei minus, documentum illi dat *Cornelia*, Africani filia, quam ueteres, non sine admiratione, commenorant, et posteris, ut coniugis, ut matris, specimen quoddam nobilissimum, produnt. Ea uero, Tiberio Graccho, summo in republica viro, nupta, hunc tanta sibi caritate deuinxit, ut is uxorius uitam suae praetulerit saluti, quem, memorant, e duobus anguisibus, in cubili deprehensis, marem, quo, ex haruspicum responso, uiueret *Cornelia*, necesse, neque ita multo post deceperit. Illa, viro mortuo, duodecim liberis, quos ei genuerat, liberamente instituendis, tam sevère praefuit, ut non male stirpi suae tradatur consuluisse Tiberius, qui, pro tali femina, moriendum, putauerit, ut ipsa quoque *Cornelia*, ante Aureliam, Caefaris, Attiam, Augusti, matres, pro excellenti pueritiae magistris uenditetur. Quid sperauerit de progenie tantae indolis, aperit ipsa, cum, matronam illam, Campanam, quae ornamenta sua, eo quidem saeculo pulcherrima, superbius ostentabat, sermone traxit, quoad e schola redirent liberi, hisque in conspicuum adductis, et haec, inquit, mea sunt ornamenta. Sed, cum, ceteris immatura praereptis, praeter filiam, quae Scipioni Africano, minori, collocata est nuptum, filios duos, Tiberium et Caium, haberet superstites, hos auctem iis innutriuisset praecepsit, ut, quamvis iidem acerrimis aequales ingenii antecedenter, praeclarius tamen ad summa quaevae erudit, quam natu, uiiderentur, tum uero ii, in praecipitia, nec opinato, conuersi, luctuosissimum uitiae mortisque exitum habuerunt. Nam, res nouas, matre ne quicquam, ut testis est epistola, dehortante, moliti, commoto reipub. statu, caeduntur, dum ciuilem dignitat modum non concupiscunt, ac tumultuando gestiunt adipisci, quod respublika quietis obtulisset. Habet Romanus Sapiens, quod miretur, habet, quod Heliae, ac Mariae, commendet, in excello *Corneliae* animo, quae filiorum complorantibus casum, illamque consolantibus, sibi, negavit, infelicem se uideri,

deri, quae pepererit Gracchos. Verum tamen, ut animi, quem tales aduer-  
fae res probent, magnitudinem a meliore suarum conditione rerum duxit  
alienam CLEOPHÉ, ita uirtute ipsi, quae deceat uxorem, nec Cor-  
neliac, neque ulli, quae marito fidem praefiterit, unquam cessit. Et-  
enim, quod in Africani fini didicerat illa, id hacc multo castius hausit  
in complexu Valentini Sittigii, uiri multo integerrimi, tantumque fan-  
titatis ac doctrinae laudem adepti, ut hic Vormatia Martisburgum e-  
uocaretur, ibique, quanta religione animi, quanta dicendi, in coetu  
Dei, facultate, quanta munera obeundi diligentia, tanta auctoritate, in  
summa Aulicaque sacrorum procuratione, emineret. Hunc filia, patris  
obseruantissima, elibera Imperii ciuitate, ac perantiqua Vangionum fede,  
quae illam, anno 1510 LVI, Id Februar ex Salome Hoehnigia,  
originis in Tribocis patriciae, nascientem, exceptit, secuta, ad Saxones  
commigravit, et, assiduis incitata cohortationibus, sic oracula diuina, sic  
interpretes eorum, amare coepit, ut horum uoce, horum consuetudine,  
nihil reputaret suauius, et, illecebris uitae posthabitis, si nubendum sit ali-  
quando, nullius, nisi Theologi, connubium sibi exoptaret. Res commen-  
to uacat, ac tam bene cecidit, ut, una cum uirginis uirtute, in corpore pul-  
chro pulcherrima, ad aures perlata, sanctissimum mouerer animum  
CASPARIS LOESCHERI, cuius merita, insigni doctrina, fa-  
lutari eloquentia, incredibili labore, praecipua uitae innocentia, sic ea  
sele efferebant aetate, ut magnam nominis dignitatem capesserent,  
gradumque sibi ad illam struerent amplitudinem, quam, tot tantorum  
que munerum perfunctionibus, tot editis ingenii monumentis, in omni,  
qua est emendatior, orbe Christiano, iam sunt consecuta. Prospero ho-  
noratoque connubii auspicio, quod, nuptiis, anno 1510 LXXII, Martis-  
burgi celebratis, illustrarunt decem Principis loci coniuiae, re-  
spondebant, quas optari possent, cuncta, cum coniugi optimo opti-  
ma coniux, in coniunctissimo quinque et quadraginta annorum ma-  
trimonio, parem amoris, parem fidei, impertiret honorem, cum ipfa,  
quantum amaret illum, tantum ab illo amaretur, cum duodecim li-  
beros, in his octo filios, eniteretur, de iis unam tantummodo amitteret  
filiam, reliquos antiquis et incorruptis imbucret moribus, ipsiusque  
pietatis suae, ac spei, quam de illorum indole, fortunaque, conceperat,  
fructum, multo uberrimum, ferret. Vedit enim, cum nuribus, gene-  
ros, quorum non suppuderet eam, uidit ex his nepotes ac neptes, qui-  
bus mirifice delectaretur, ab his cunctis tanta semper excepta ueneratio-  
ne, ut id semper potissimum, quod illi probatissimum, uideretur. Ingenia  
Gracchorum laudantur optima, quibus illi male usi, cum, matre uiua et  
inspectante, crudeliter interfissent, ea tamen, sicut offendimus, noluit dici,  
noluit uideri, misera, propterea, quod Gracchos tulisset. Quae Loesch-  
erorum sint ingenia, scimus nos magis, quam, pro necessitudine, dicere au-  
demus, norunt tamen finitima ac remotae gentes, quae, illorum scriptis se-  
se erudiri, se se capi, fatentur, norunt Reges ac Principes, qui Loescheros  
sacerdotis praeiiciunt amplissimis, in consilio sacrorum, etiam summo-  
rum, Aulac, Tribunalium, Dresenae, Vinariae, Lubenae, habent,  
aliis,

alii, vel ciuilibus aulicisque, vel literatis, in ipsa hac literarum fede,  
muneribus ornant, nouit omnis, qua religione, legibus, scientia liberali,  
stat et floret, respublica, et putat, in Loescherorum decoribus, quae  
uel conspexit, vel expectat, aliquid inesse, quod sibi, saeculoque,  
contemendum non videatur. Proinde reliquit Loescheria Cor-  
neliae, mater felicissima multo infelicitissimae, illam ex aere fla-  
tuam, quae, matri Gracchorum Romae posita, narratur, dum  
ipsa, non a plebe concitata, sed ab optimo quoque ac maximo, pa-  
rens Loescherorum uiua celebraret ac mortua, suam illi non inuidit  
funebrisimorum partium gloriam, suum, ut uerius dicamus, in re mi-  
sera, fastum, dummodo non duorum, sed plurium praestantisimo-  
rumque filiorum, gradu, auctoritate, fama, fortuna, non uideretur  
magis, quam eslet, perbeata. Rarum, fateor, felicitatis maternae,  
tarum coniugalis, deprehendo genus, quod tamen hoc minus miror,  
quo magis veros utriusque generis fontes considero, in cultu Numi-  
nis religiosissimo, in concordia matrimonii nunquam discorde, in di-  
ligentissima domesti ci moris emendatione, in studio familiae, bonis  
exemplis regundae, beneficentia erga inopes, modestia erga quollibet,  
comitate, nemini denegata, quibus illa rebus et Deum conciliabat  
sibi, et homines, ad bene sibi, bene sanguini suo, precandum, nun-  
quam reluctant, nunquam pertaesos, iniuitabat. His de caussis non  
desunt, opinor, boni, qui matronam existimationis tam bonae, graui,  
quem diu patienter tulit ea, morbo paullatum confectam, ac nuper,  
**XVIII** Calendas Februarias, quasi placido quadam somno sopitam,  
desiderio prosequantur, qui Vidui simul, canis meritisque ueneran-  
di, aetatem, quae, tot fracta laboribus, sensim relanguecit, iucun-  
dissimo sociae, in omni fortuna perfidelis, auxilio destitutam, do-  
leant, qui genti Loescherae, tantae matris obitu, in squalorem con-  
iectae, calamitatem miserentur, qui denique, mecum, optent, ut Pro-  
genitoris, tam Venerabilis, senectute diuinitus confirmata, afflictae  
moeror familiae leniatur, et haec ipsa, coelesti defensa praesidio, ca-  
reat acerbitate casuum, ac bene de sacris, bene de literis, bene de re-  
publica omni, sicut optat, amplius mereri possit. Interim, pro illa, qua  
Diuam nos colimus, pietate, rogamus uos, CIVES, ut fumus, quod  
matronae spectatissimi decoris, cum publica exequiarum dignitate, in-  
struitur, hodie, factis a meridie sacris, in Aedem Marianam, libentes  
frequenterque comitemini, et, hac extremi comprobatione officii, de-  
claretis, quanti aestimeris memoriam LOESCHERIANI nomi-  
nis, nulla ingrati animi labe contaminati, quod me non eger praecone-  
nis, et satis habet, si aquifissimis aliorum iudicis relinquatur. P P XVI

Calendas Martias, quem diem *Dominicae Inuocavit* tribuant  
fasti, sanctius ordinati, anno salutaris ortus

CID 19CC XVII

---

VITEMBERGAE  
PRELO GERDESIANO

Bang VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.  
Funeralia K.-R.]

X285598A

VON  
M 18



G

**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**GEORG FRIDER SCHROEER**  
**SS·THEOL·D· EIVSDEMQ PROF· PVBL·**  
**ET ALVMNORVM REG· EPHORVS**

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S P D

